

Franckesche Stiftungen zu Halle

Cur Jesus Nazarenus Sit Dictus, Ex. Matth. II, 12. ostendens

Koitzsch, Christian Jacob

Elbingae, [1723?]

VD18 90820665

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-202513



Inter ea criteria, quibus Messia^a praesentiam antiqui foederis Prophetae notabilem fore praedixerunt, non ultimum locum nomen *Nazareni* meretur. Sic enim Matthaeus: (a) *Cum, inquit, eo venisset, habitavit in oppido Nazareth; ut impleretur, quod per Prophetas dictum est, Nazarenum vocatum iri.* Quantum interpretes hic locus torserit, ipse indicat Hieronymus: Omnes, inquit, Ecclesiastici quaerunt, & non inveniunt, ubi scriptum sit, quoniam Nazarenus vocabitur. Varias autem interpretum sententias recensere, merito supersedemus; contenti, Scripturae S. ductu, veram invenisse. Ad quam facilior erit aditus, si perpenderit, Matthaeum haud quam propria Scriptoris alicujus verba citare: sed plurium Prophetarum mentionem facere. Ex quo conficitur, non ad verba, quae eadem in omnibus non esse potuerunt; sed
ad

(a) Cap. II, 23.

ad mentem, ac comūne plurium testimonium provocari. His accedit, quod non dicitur, eum Nazarenum vocandum esse, sed vocatum iri. Nam à loco nativitatis, non habitationis nomen hærere solet. Hinc nec, quid jure fieri debeat, sed quid factum sit, enarrat; & quod significarint Prophetæ, eum sic vocatum iri à Judæis, nativitatis ejus, Bethlehemi factæ, ex oscitantia ignaris: idque non honoris, sed contentūs & ignominia causa; tanquam argumento, quo evidentissime demonstrari posse existimaturi essent, ipsum non esse Messiam. Non enim raro hoc magno, ut putabant, ariete utebantur: *Num.* inquiebant, (b) *è Galilea veniet Christus? Nonne Scriptura dicit, ex semine Davidis, & ex vico Bethlehem, ubi erat David, venturum illum?* Vult ergo Evangelista ostendere, ex hac professione ansam appellationis hujus ipsos sumsisse, eoque ipso Prophetarum oracula implevisse. Quæ vero? Non, quibus prædixerint, eum Nazarenum vocandum esse; sed ubi, quid futurum esset, variis typis, figuris, ænigmatibus, populo, oculis videntibus non visuro, obscurius significassent. Hanc enim rationem Prophetas allegandi familiarem Matthæo esse, tum ex eadem sectione secunda manifestum est, ubi fugâ Christi in Ægyptum illud vaticinium impletum esse dicit: *Ex Ægypto meum Filium vocavi*; tum ex antecedente prima, ubi nativitatem Christi, nomine Jesu appellandi, prædictam esse ait ab Esaia, his verbis: *Ecce virgo concipiet, filiumque pariet, quem vocabit Immanuel.* Quænam ergo sunt oracula, ad quæ provocat sanctus Scriptor? Qui ad nomen Nazaræorum hic respici contendunt, non equidem à scopo aberrant. Nam Christus verus fuit *Nasir*, à Jacobo Patriarcha, sub figura

)(2

Jo-

(b) Joh. VII, 41. 42.

Iosephi, ita appellatus: (c) & Simfonis, nec non reliquo-
 rum Nazaræorum exemplis prænotatus. Is enim, quod
 vocabulum *Nasir* denotat, vere à peccatoribus fuit separatus,
 & ad sanctissimum officium segregatus; sanctus sanctorum,
 coronâ sanctitatis ad regnum & sacerdotium ornatus. Si
 quis obijciat, distincta esse nomina *Ναζυραίος*, vel *Ναζωραίος*, quo
 Nasir designatur; & *Ναζωραίος*, quod Nazarenum significat:
 hoc, non illud ab Evangelista usurpari: illi perpendendum
 relinquimus, annon promiscue *Ναζωραίος* & *Ναζωραίος* pro
 Nazareno ponatur? cum illud Ebræorum, hoc Syrorum dia-
 lecto fieri possit. Quanquam nec à vero alienum videtur, si
 dicamus, Judæos, ut hoc nomen Messiae proprium, Jesu,
 Salvatori nostro, non convenire acerbiori subfannatione
 significarent, per Paronomasiam ex *Ναζωραίων* *Ναζωραίων* fecisse,
 arguentes, ipsum *Ναζωραίων* non *Ναζωραίων* esse: æque ut
 Christo addictos ludibrii causa Chrestianos, non Christianos,
 gentiles appellarunt. Ceterum alia sunt loca, quæ spectasse
 Spiritus S. amanuensem potissimum existimamus. Primus
 est Esaïæ, (c) qui Christum vocat *Nezer*, i. e. *surgulum*, ex
radice Isai oriturum: a quo vocabulo ipsum oppidum *Naza-*
reth nomen suum habet; tanquam locus, virgultis frutetis-
 que confusus; nec culturæ solertiâ, ut aliæ urbes, exornatus;
 ideoque vici, quam urbis nomine dignior. Christum autem
 Propheta *Nezer* dicit, eam potissimum ob causam, ut
 humilitatem ejus, & vitam sub contemptu miserrime agendam
 de-

(c) Gen. XLIX, 26. Dent. XXXIII, 16.

(d) C. XI, 1.

delineet: significans, non procerae arboris instar, sed parvi furculi, ex trunco succiso, & radice reliqua sine spe crescendi propullulantis, habitum eum iri. Quod ipse Salvator indicat, cum ait, *se non virum, sed vermem esse; ludibrium hominum, & contemptum populo.* (e) Id clarius ex ejusdem Prophetæ verbis patet: (f) *Quis, inquit, credit prædicationi nostræ? & brachium Jehovæ in quo revelatur? Assurgit enim, ut tener furculus, coram illo; & tanquam radix è terra solitaria: non est forma ei, neque decor.* Nec vero aliam ob rem Jesum Nazarenum Judæi appellarunt, nisi, ut fastidium suum & contemptum indicarent; prout jam supra demonstravimus. Num, inquebant, *ex Nazareth aliquid boni esse potest?* (g) *Scrutare & scito, ex Galilea prophetam non fuisse excitatum.* Sed ad alia progrediemur. Notum est, Psalmum CXXXII. totum de Messia agere. Hujus ultima verba ita se habent: *Inimicos ejus pudore induam: sed super ipsum corona ejus effloreat.* Quæ ita explicanda esse ducimus: *Inimicos ejus* (Judæos, ignominia maxima Christum affecturos) *pudore induam: at super ipsum* (Christum, NEZER à Prophetis, conditionem ejus humilem describentibus; Nazarenum à Judæis ignominia causa appellatum) *NESER, i. e. corona ejus* (spinea, ludibrii & ignominia ergo imposita, supra quam nomen Nazareni in ignominia complementum cruci affixum legetur,) *florebit* (gloria & decore; secundum typum florentis virgæ Aaronis, cum ab eodem populo ignominiose rejectus esset; ipsis fructibus passionis

Chri-

)(3

(e) Ps. XXII, 7.

(f) cap. LIII, 1.

(g) Joh. I, 47. VII, 52.

Christi per Spiritum S. credentes convincens, Jesum crucifixum esse illum promissum à Deo summum Sacerdotem, verumque Messiam.) Maxime vero huc pertinet illud Zachariæ: (h) *Ecce virum, cujus Nomen est GERMEN, qui è loco suo* (Nazareth, ubi habitabit, & unde cognomen hærebit) *germinabit* (ad typum virgæ Aaronis floridæ, sub maximo contemptu adolescens; attamen sapientiâ, ætate & gratiâ tum Dei, tum hominum crescens; & proficiens; posteaque ex illo loco egrediens, doctrinæque efficaciam, vitæ sanctimonia, miraculorum præstantia se Messiam demonstrans,) *& ædificabit templum Iehovæ.* Hæc, & alia loca respiciens Evangelista, ostendere voluit, Judæos, Jesum per contemptum Nazarenum vocantes, implevisse omnia illa vaticinia, in quibus Nezer, Zemahh, Joneck, i. e. furculus vel germen, item flos, liliū convallium, nec non Nasir Christus appellatus esset; occasione capta ex ejus in oppido Nazareth habitatione. Quam Sancti Evangelistæ sententiam claram esse existimo, si ita verborum ellipsis suppleatur: *Ut impleretur, quod à variis prophetis passim dictum est, quo significarunt, fore, ut Christus Nazareus vocaretur.* Dicis, nondum hæc ad convincendos Judæos satis esse. Quid tum? Qui cæcitatibus suæ tenebris immergi à Christo ipso convinci renuerunt, quid mirum, si ad hæc etiam cæcutiant. Nam, quod Paulus ait, *quia tum ipsum Christum, tum verba Prophetarum, quæ per omne Sabbatum legebantur, ignorarunt: hæc, damnato eo, imprudenter impleverunt.* (i) Nos tanta Evangelii luce collustrati, non tantum hic certissima fidei nostræ fundamenta habemus: sed etiam ad ejusdem usum atque exercita-

(h) VI, 12.

(i) Act. XIII, 27.

citationem excitandam uti hoc nomine debemus. Plenum est enim dulcedinis, plenum solatii, plenum excitationis. Id quod cum fusius deducere præsentis instituti ratio non permittat; instans vero Gymnasii nostri solennitas, quâ memoriam insignis beneficii recolimus, quod divina benignitas locum in hac Urbe dedit, ubi Christus, tanquam in Nazareth, educetur, & furculi in ipso, divinæ doctrinæ succo nutriente, germinare, florere, & fructuosi fieri queant, more solito actum oratorium imperet: hanc commodam occasionem esse duximus, huic materiæ immorandi, si *Virgam Aaronis floridam*, de qua in confessu Patronorum publico verba faceret, juventuti proponeremus. Sic enim non solum linguam, & ingenium, cum stilo, exercituros eos; sed etiam ex rei tam pulchræ meditatione nova amoris divini semina concepturos esse speravimus. Cui rei cum crastinus dies auctoritate publica destinatus sit; PROCERES hujus Regiæ Civitatis Gravissimos, VIROS MAGNIFICOS, GENEROSOS, AMPLISSIMOS atque CONSULTISSIMOS, DNN. BURGGRABIIUM REGIUM, PRÆSIDEM, PRÆCONSULES ATQUE CONSULES, PATRONOS ac NUTRICIOS Gymnasii nostri submissio observantiæ cultu prosequendos; nec non *Excellentissimos, plurimum Reverendos, Pranobiles, Nobiles, Spectabiles, Præstantissimos, Humanissimos*, FAUTORES & AMICOS *honoratissimos*, ea, qua par est, reverentia humanitateque rogamus, ut præsentiae suæ decore florum nostrorum dignitatem augeant, precibusque ad DEUM, post debitam gratiarum actionem, ardentem missis, ut floreat perpetuo Gymnasium nostrum, impetrare contendant. P. Elbingæ, VIII. Calend. Decembr. A. O. R. MDCCXXIII,

346 OR-

ORDO
DICENDORUM
DE
FLORIDA VIRGA AARONIS.

PROLOGUS, *Samuel Lau*, Elb.

CHOR. I.

Stilo arguto agent de miraculi hujus

1. Præstantia, *Johannes Remy*, Elb.
2. Fine & fructu, *Johannes Lichorius*, Elb.
3. Indole, *Franciscus Adamus Rhodius*, Elb.
4. Significatione, *Godofredus Fric*, Elb.

CHOR. II.

provocante *Godofredo Zahnio*, Hollandia-Prusso,

(α) Historiam hujus miraculi enarrabit *Godofredus Kave-
ran*, Elb.

(β) Causam ejus exponet *Johannes Roskampff*, Elb.

(γ) Materiam Virgæ, & ex quali arbore excisa fuerit,
monstrabit *Andreas Steinhauer*, Osterod. Pruss.
Johannes Laxdehn, Lauca-Pruss.

(δ) Af-

(2) Asservationem ejus in arca explicabit *Franciscus Esken*, Elb.

Cantabitur Ode I. à pueris VII. Classis.

CHOR. III.

In Virga typum fuisse demonstrabunt

I. Generatim, *Job. Godofredus Listich*, Cöeslin-Pomeran.

II. Speciatim (a) Nativitatis Christi, quoad ejus
Stirpem, *Martinus Hufeland*, Stolpa-Pomeranus.
Matrem, *David Frisius*, Polvitena-Prussus.
Tempus, *Job. Henr. Conrad*, Elb.

(b) Ecclesiæ, *Godofredus Rulcorpius*, Elb.

(c) Christiani, *Christianus Zeidler*, Elb.

(d) Scholæ, *Jacobus Konopac*, Mariæburgo-Prussus.

(e) Studiosi, *Georgius Raphael Rhodius*, Elb.

CHOR. IV.

Fructus virgæ mysticæ explicabunt

1. *Michael Gräber*, Teuto-Eulavia-Prussus.

2. *Job. Godofredus Pöbling*, Fridlandia-Prussus.

B

349 3. 106.

3. *Joh. Joachimus Sassinus*, Colberga-Pomeranus.

Cantabitur Ode II. à discipulis VI. classis.

CHOR. V.

Epigrammatibus certabunt

Invitante *Joh. Ferdinando Jungschultzio*, Elb.

Johannes Bergmann, Elb.

Joh. Henr. Sprengel, Elb.

Johannes Langius, Elb.

Christianus Schwarck, Elb.

Daniel Ræmer, Elb.

Joh. Georg. Hoffmannus, Passenheimia-Pruss.

Georgius Land, Elb.

Jacobus Kamniensky, Soldavia-Prussus,

Godofredus Schultzins, Gilgenb. Prussus.

Christianus Grafs, Elb.

CHOR. VI.

Dialogo Poëtico de usu virgæ colloquentur

Israel Hoppius, Elb.

Jacobus Gottlieb Meyer, Succovia-Pomeranus.

Cantabitur Ode III. à tironibus V. classis.

Chor.

CHOR. VII.

Lusu Poëtico de fructibus Virgæ Aaronicæ agent

Job. Jacobus Behring, Elb.

Christophorus Roskampff, Elb.

CHOR. VIII.

Germanicis Epigrammatibus eosdem fructus exponent

Casparus Bannehr, Elb.

Samuel Gottlieb Preuß, Elb.

Johannes Christophorus Porsch, Kazenasiâ-Mariæb.

Henricus Gottlieb Porsch, Kazenasiâ-Mariæburgensis.

Paulus Krickeud, Soldavia-Prussus.

Georg. Frid. Bannig, Osterod. Pruss.

Caspar Peterson, Elb.

Daniel Poplawsky, Locca-Prussus.

Samuel Sprengel, Elb.

Carolus Gustav. Freymuth, Elb.

CHOR. IX.

Colloquio Poëtico reliqua de virga illa peragent

Abraham Köllner, Elb.

Ephraim Hausmann, Elb.

Christophorus Wolff, Elb.

B 2

350 Chor.

CHOR. X.

Ad fructus capiendos carminibus hortabuntur

Johannes Jacobus Möller, Elb.

Christianus Jacobus Leichert, Elb.

Isaac Roskampff, Elb.

Daniel Meienreis, Elb.



Auditoribus gratias agat *Sigismundus Meienreis*, Elb.

